

COMME
JE
FUS



*EXCELLENTISSIMO DOMINO*

# JO: DOMINICO MARIÆ

## B E R I O

## GENUENSI PATRITIO

MARCHIONI SALSÆ, CIVITATIS MONTISMARANI, VULTURARIÆ, AC PAROLISII DYNASTÆ. ec. ec. ec.



Uum meas de Odorum Mechanismo in corpore Humano exercitationes ſecundis

 curis

curis politiori lima exaſciatas. & auctas typis iterum imprimere animum induxerim, non diu anceps animo fui, cuinam viro illuſtri pro ſuo jure dicarem; ſtatim namque, Excellentiſſime Domine, tua mihi ampliſſima patuit domus, cujus limina ejuſmodi mercibus importandis numquam non calent. Tibi enim ne dum munuſculum iſtud, obſequii mei erga te ſpecimen; ſed maximas laudes, honoreſque ſummos propè debentur, ſiquidem genere clarus, virtutibuſque præditus, omnium animos tibi devinxiſti, omneſque te diſertiſſimum bonarum artium cultorem, ac patronum præſentiſſimum fatentur. His igitur præſidiis fretum opuſcu-


lum

lum hoc meum amplissimo Nomini tuo dicatum iterum in lucem prodit. Ego autem de tua humanitate, qua cunctos literarum Professores perbenigne complecteris, haud omnino desperans, mihi quoque auguror, auspicatissimam tutelam, patrocinumque tuum non defuturam. Hoc igitur devotionis meæ testimonium, ut æqui bonique consulas, meque ut perpetuo tibi addictum habeas rogo, atque oro. Vale

Excellentiæ tuæ

Dabam Neap. 1778.

*Humillimus, & addictissimus famulus*
Philippus Baldinius.



# PARS PRIMA
## DE
## ODORUM MECHANISMO
## IN
## CORPORE HUMANO



Ullam totius Physices partem majoribus implicitam difficultatibus, erroribusque magis obnoxiam esse, quam causas perceptionis odorum sedulo perquirere, neminem ferme latet: si rem enim ipsam attente perpendas animo, nihil sane est explicatu tam arduum, quam causæ, phænomena, atque effectus odorum, testantibus variis illustrium Philosophorum tentaminibus; quæ quidem haud me fugit diversas nancisci formas, ac hypotheses, frustra, inconsultoque a nonnullis posthabitas recentioribus, qui ad altiora, ut opinor, prorepere gloriantur.

His prælibatis nobis de odorum cauſa verba facturis, neceſſe eſt, veteres, recentioreſque Philoſophos conſulere, ut quod dicendum erit, eorum auctoritate fulciatur. Tuta ideo hæc exploratio erit, ſi ad ſenſus organum primum ſermonem noſtrum conferamus.

## CAPUT I.

### *De Fabrica Naſi.*

ANtequam mechaniſmum diffuſionis odorum declaremus, ſenſus organum, quod naſus eſt, ſummis, ut ajunt, digitis attingere juvat.

§. I. Naſus itaque eſt corporis noſtri pars organica ex pluribus ſimilaribus particulis a facultate coagmentata, cum propter alios uſus, tum maxime, ut genuinum odoratus organum ſit. Is profecto in internum, externumque dividitur; præterea externum naſum in ſuperiorem, inferioremque Anatomici ſubdividunt, hæc eſt pars cartilaginea, illa vero oſſea; hinc prima pinnulæ, ſecunda dorſum naſi nuncupantur.

§. II. Naſus internus in binas diſpeſci-

tur

tur cavitates, quæ nares appellantur, unde odores, atque aerem ad respirationem recipimus: hujusmodi autem cavitates in duo terminantur foramina, quorum alterum ad os spongiosum, alterum vero ad fauces hiat; in his vero cavitatibus substantia quædam spongiosa conspicitur, exquisiti sensus, atque a dura matre orta per ossi cribriformis sinus producitur, & schneideriana membrana nuncupatur, cumque nervis per eam membranam excurrentibus satis consentit, qui ab ophtalmico, pterygoideo, palatino, & infraorbitali originem ducunt; majores vero nervi in avibus, piscibus, quatrupedibus reperiuntur, uti in Testudine, Alce, Vrsulo, Hystrice, denique in Cane.

§.III. Arteriæ præterea nasi, atque venæ sunt rami carotidum, ac venæ jugularium surculi; ex osse denique superioris maxillæ, quæ totam narium cavitatem cingit, prodit quædam lamina ossea, septura narium nuncupata, figuram rombi similem repræsentans, & in cartilaginem abiens. Hæc membrana pituitaria vasis, nervisque est contexta; qua de re ad

ad olfactum mirum in modum conducit.

§. IV. Musculus nasi unus hactenus pro genuino habitus alas sursum trahens, qui sese dilatando comprimitur, ut æstuante corde, aut aliqua exigente necessitate aer copiosior ingredi egredique possit; alii duo adsunt musculi parvuli ipsas alas motu voluntario moventes, ac dilatantes reliqua nasi parte immobili remanente.

§. V. Quapropter nasum non solum ad jucunditatem, verum etiam ad vitam ipsam perutilem, imo necessarium esse affirmare debemus; nasus enim olfactu aerem ingredientem explodens viscera a detrimento vindicat, aeremque attrahendo cerebro ad spiritus animales, cordi ad vitales conficiendos materiam suggerit, eademque a suffocatione, & interitu defendat, & ab excrementis expirando liberat. His delibatis ad odorum diffusionem gradum facimus.

# CAPUT II.

## *De Odorum Perceptione.*

MAximopere ad noſtrum facit argumentum, opiniones antiquorum recentiorumque Philoſophorum apprime diſquirere. Ex Vetuſtis monumentis hanc Democriti, Leucippi, ac Epicuri fuiſſe ſententiam, conſtat, odores non aliunde, quam ab exhalationibus corporum ope aeris ad nares transferri; atque pro effluviorum diſcrimine gratum, ingratumque gigni; quod luculentiſſime Epicureus Poeta comprobavit (1); non ſecus ac innumeri veteres, recentioreſque Philoſophi, qui antiquorum veſtigiis adhæſerunt.

§. II. Alii vero cum huiuſmodi odorum diffuſionem explicare vellent, ad attractionem toto confugere niſu: ſed errant

(1) *Perpetuo fluunt certis ab rebus odores Frigus, ut a fluviis, calor e ſole, æſtus ab undis, de Rer. nat. lib. III.*

rant quidem, ut magnus rerum physicarum investigator Boyleus demonstravit (1).

§. III. Plerique Physici in inflammabili corporum parte odoris sedem ponunt, alii vero corpora per se electrica sola odorata esse scripserunt.

Vero enim vero si ab istis Philosophis modestè quæramus, quid in corporibus odoriferis sit principium, quo derepentè odores emanent, sine aliqua eorundem corporum diminutione; unum ne, & simplex, an plura, sibi constans, & perpetuum, an mutabile? nil profecto huic argumento respondebunt.

Quippe si granum olei cinnamomi, muschi, aut zibethi accipiamus. & ab oriente in occidentem; a septentrione in austrum transferamus, procul dubio numquam mole imminutum inveniemus; firmum igitur manet, futilem, falsamque eorum esse opinionem, qui per inanes hypotheses diffundi odores arbitrantur.

§. IV. Jam demum qua vi, quove modo ubique odores diffunduntur, dicendum. Ut vero a

(1) *lib. de effluv. subtil.*

ro a rebus obviis, atque excurrentibus ordiamur ſciendum eſt primo, quod apud Philoſophos penè omnes ſat eſt exploratum, corpora ea eſſe compage, ut undique meatibus, poriſque ſcateant, qui variè tamen organizati, conformatique ſunt: id ex mercurio, qui permeat metalla, colligi clare poteſt; hinc crebriores, permultique halitus per aera vagantur, cum exquiſita ſua flexibilitate illos ſubeant poros, ita tamen ut cum corporum poris aptentur, ſimilem, idoneamque acquirant naturam.

§. V. Ad hæc: cum continuus aer ſuum conſervet motum, minime mirandum, ſi halitns ex alio in alium transferantur locum per ſemitam præcipuè illam, qua ſi igitur fiat, ut aer, per quem odor aliquis ſit difflatus, aliquo modo incaleſcat mox flabello, aut quovis alio inſtrumento impellatur, qua flant venti, ſtatim odor ubique diffunditur, declarantibus Aerometriæ legibus; ex quibus etiam conſtat odores eo minus ſenſus noſtros efficere, qua craſſior ſit aer, per quem transfunduntur. Hæ quippe a natura

ra

ra ſancitæ ſunt leges, ut ſi iidem halitus ſint copioſiores, derepentè, furenterque exire, atque aliis præbere locum cogantur

§. VI. Haud obſcure dignoſcitur cauſa, cur ex odoroſis corporibus, tot exhalationibus foras prorumpentibus, ut maximum tamen atmospheræ occupetur ſpatium, minima in iis imminutio appareat. Hinc fieri exiſtimo, ut corpora nil ſuæ amittant ſubſtantiæ, etſi temporis progreſſu aliqua videatur diminutio; quare pro corporum varia compage, & meatuum diverſa ſtructura diverſiſſimæ ſint naturæ effluvia, neceſſe eſt.

§. VII. Quod ex ſequentibus obſervationibus confirmatur: in ſummis, magniſque caloribus, immodiciſque frigoribus, nec non in ventis vehementibus odorem ferarum canis venaticus non ſentit, quoniam in hujuſmodi aeris viciſſitudinibus halitus ubique diſſipentur, atque cum uberiores ſint, partim debiles ad eos pertingunt, partim a ventis transferuntur aliò. Hinc plantas in calidis regionibus fragantiorem emittere odorem clarè, dilu-

cidè.

cidèque patet, ut in Syria, atque in Arabia, in quibus caloris beneficio aromata gignuntur, fructusque arborum, qui illic nascuntur, tenaciores acutioresque referre odores, atque quo magis igne aguntur, eo magis odoriferos evadere, uti quotidie observatur; ex huc usque dictis facili etiam sane negotio deducitur, odorum intensitatem esse in ratione reciproca distantiæ.

§. VIII. Apud omnes in comperto sat est, nares non solum ad aerem pro respiratione, inspirationeque admittendum, verum ad recipiendas species odoriferas inservire; hinc halitus cum in aere sint copiosiores, per universas procul dubio nares sese continuo spargunt, ita ut per omnia narium foraminula ingrediantur, & in scheideriana membrana sensus exeritur olfactus, ob nervorum efficaciam, qui per eam membranam excurrunt, ac analoga perceptio in cerebro illico excitatur; unde anima, quidnam odoris sit genus, ritè rectequè discernit: velut ex variis aeris fluctuationibus, cum auditorum tympanum urgetur; clarè, distinctèque, an psalterii sonus sit, alteriusque instrumenti, judicat.

§. IX. Hinc qui patulas habent nares, fortius excipiunt odores, ut in Capella, Bove, Pecude, ſimilibuſque manifeſtè videmus, quæ herbaceis veſcuntur; proceſſus enim mamillares habent majores, quoniam exquiſito magis olfactus indigent organo, ad varii generis ſibi convenientes herbas diſtinguendas, atque a noxias ſeligendas; quapropter evidentiores obſervationes animalia proferunt, uti in Corvis, Vulturibus, Canibuſque experimur, qui ferarum, dominorumque veſtigia odoratu ſequuntur; Tygridibus, quæ arreptos catellos narium ope perveſtigant, in Columbis hirſupedis, quæ oblatos pullos, ac in locum alium ad centum uſquè paſſus diſſitum translatos, exquirunt.

§. X. In America permulti etiam inveniuntur homines, qui ſagacitate parum a canibus differunt, nam in Antillis inſulis dantur homines, qui olfactu veſtigium Nigritæ a Galli veſtigio diſcernunt; Et Du-Hamel memoriæ prodidit, hominem quemdam, qui inter feras vitam traduxerat, odore alimenta diſtinguere, ut barbigeræ pecudes ſolent. Et Kenelmus de

quo-

quodam homine Londienſi refert, qui in ſylva a parentibus extorribus infantem relictum, multis illic annis vitam tranſegiſse, ſylveſtribuſque pomis, glandibuſque, nec non radicibus veſcens, demum vero Agreſtium inſidiis captum, ubi verba proferre didicerit, narraſse, quamdiu inter beſtias vixerit, odoratu ſe cibos exploraſſe, ipſumque inſequentes venatores percepiſſe, eorumque inſidias non raro eluſiſſe.

§. XI. Hoc autem haud ex alia cauſa fieri exiſtimo, quam a maxima nervorum efficacia. Quare qui catarrho laborant, ſupervacaneoque humore corripiuntur, ſæpe ſæpius nil olfactu percipiunt, cum pituitoſus humor & nares, & os cribriforme obſideat; etenim ubi mirum in modum obſtructi fuerint Rheumate nervi, vaporem odoris vehiculum haud admittunt, aut eundem recipiunt, ab eo ob inſolitam obſtructionem non afficiuntur: hinc etiam qui polypis vexantur, nullos percipiunt odores, quia polypus aeris liberum inter nares acceſſum impedit.

§. XII. Ex hactenus dictis colligitur

olfactum a natura animalibus præsertim tributum videri ad distinguendos noxios cibos, ex quo apud omnes in comperto sit, nullum cibum esse salubrem, qui fœtidum exhalet odorem.

§. XIII. Olfactu communicari venenum adeo est manifestum, ut probari opus non sit; si enim vaporis boni odor inspiratus cerebrum demulcet, & roborat, cur noxius vapor non corrumpet, aut convellet? unde cordis tremor exsurgit; quin homines ex certis quibusdam tetris, immo suavibus odoribus exanimantur.

§. XIV. Demonstrare etiam hoc loco oportet & primum haud me latet olfactile nihil ad nutritionem conferre: plurimos viros doctos duplex secundum Galenum alimenti genus statuisse, alterum, quod per os assumptum, solidas corporis partes nutrit, alterum per nares attractum, partes tenues, ac aereas, ut spiritus, alit: qui igitur hoc altero modo aluntur, aere, & odore pasci affirmat Galenus; alios vero cum Plinio asserisse, ad estremos fines Indiæ ab oriente circa fontem Gangis,

Asto-

Astromorum gentem sine ore, sine corporis, flexu vestitam frondium lanugine, halitu tantum vivere, et odorem, quem naribus trahunt, nullum illis cibum esse, nullumque potum; sed tantum radicum, florumque, et sylvestrium malorum variis uti alimentorum vice odoribus, quæ secum portant, ne desit olfactus : graviore paulo odore haud difficulter exanimari.

§. XV. Hæc vero omnino fabula anilis habenda est opinio; & ab historica fide longe aliena: nam rationi minime consonat, incorporeum enim in corpoream substantiam converti non posse: odor itaque cum per se accidens sit incorporeum, in animalis substantiam mutari nescius, ad nutritionem aptus minime esse potest.

§. XVI. Galenicorum denique sententiam his facile refellas. Cunctis animalibus in ventre locus inest, qui alimentum recipit, unde ipsum corpus alimoniam trahit : at odoris sensorium in capite situm est, a quo nullum animalis membrum nutrimentum petit; In comperto est, cibos dentibus comminutos, & madefactos in ventriculum detrudi; in qno

ope perpetui motus contritis, partes eorum saliva, aliisque glandularum serosis liquorihus emollitas deteri, & in chylosam materiam abire, atque hanc statim ad intestina expelli, ac per vias satis notas sanguini admisceri, ac demum carnem fieri. Cum vero in nervis olfactui inservientibus hujusmodi artificium haberi nequeat, haud quidem intelligi potest, qua via corporum effluvia eo perducta in succos ad nutritionem aptos ac demum in carnem abeant; instant coquorum exemplo, qui dum in cibariis quotidie versantur, ciborumque odores percipiunt, vix umquam esuriunt, aut cibum appetunt, immo quasi saturi obsonii fastidiunt: atque hinc vulgo ipsis odore satiari dicuntur; sed quod cibum non appetant, id unum quidem in causa esse duco, quia inter coquendum ex omnibus aliquid degustantes, ventriculum sensim impleant, & perpetuo circa ignem versantes ipsorum pori aperiantur, calorque internus, qui appetitum movere solet, dissipetur. Hinc fit, ut hyeme magis, quam æstate cibum appetamus, aut forte caliditate ignis exsic-

cati;

cati: hi enim sitientes; frequenter bibunt, ut potus humiditate ventriculus laxatus langueat; sed appetitu parum, aut nihil percelluntur:

§. XVII. Reliquum est; ut aliqua de odoribus investigemus, et primum illa hæc se offert quæstio, quare odorifera corpora posteaquam suum amiserint odorem, si in fætida reponantur loca, aut pristinum referunt odorem, aut jucunde redolent certè, sed odore a priori prorsus diverso. Hujus rei magnus ille Academiæ Mediceæ Cimenti instaurator Comes Magalotti nobis exemplum præbet in unguento mellino cacai, quo per tres annos domi retento; odorem jesulminorum adamussim referebat (1).

Hoc vero ex eo mihi fieri videtur; quod motus fermentationis mutetur, atque in illo corpore destrui formam situs, ac denique naturalis ejus ordo; unde meatus aliam acquirunt compagem, & halitus, per eos Mæandros penetrantes a priori diversam prorsus figuram nanciscuntur.



(1) *Letter. scientif. let. IX.*

§.XVIII. Atque hinc fortaſse per quam facile intelligi poteſt, cur corpora odorifera ob fermentationem ſuaveolentia fiant, quamvis antea ita non eſsent; exempio ſit zibethus purus, qui utut acriter oleat, ſi tria tamen ejus grana cum decem Ambræ granis miſceantur, & inſtillata ſucci malorum citreorum gutta terantur, ſuaviſſimum obtinebitur unguen tum. Sic moſchus, ſi purus eſt, ingratum ſpirat odorem, aliquot tamen ſpiritus roſacei ardentibus guttis admixtus, maxime fragans evadit, atque naribus valde blanditur.

§. XIX. Veluti etiam, quæ mechanice quoſdam effundunt odores, ſuavia, ac delectabilia mirum in modum arte fiunt, in quorum cenſum revocari omnia uvæ genera debent, quæ cum ſint contuſæ, ebulliendo tamen, ac fermentando ubique odorem effundunt, atque nonnulli liquores, qui etiam per putrefactionem odoriferi valde evadunt.

§. XX. Hinc tempore Hyemali minus olfacimus, ac debilius odorata corpora nares feriunt, quia hybernis tempe-

peſtatibus meatus frigore contrahuntur, ac proinde minus è corporibus halitus erumpunt, et cum eo tempore aer ſit denſior, mirum haud eſt, ſi minus olfacimus.

§. XXI. Minime nunc mirandum, ſi plures probæ fidei ſcriptores in ea fuerint ſententia, quoſdam odores è propinquo minus eſſe ſuaves, quam contra, ut etiam Ariſtoteles (1), Plinius (2), ac Plutarchus adnotarunt (3). Hoc fieri mihi vi-



(1) *Odores tum ſuffimentorum, quam florum, cui è propinquo minus ſuaves. lib. 1. de Plant.*

(2) *Tanti emitur voluptas aliena, etenim odorem, qui gerit, non ſentit. Natur. Hiſtor. Lib. XIII. cap. III.*

(3) *Nam florum etiam odores longius accedentes ſuaviores ſunt, ſi nimis propè florem admoveas, non ita pura ſincera eſt fragrantia: cujuſque cauſa eſt, quod terreſtria, ac turbida multo una cum odore exhalant, eumque hauſtum in propinquo vitiant, ſi vero removeas florem aliquantum*

videtur, quod odores non in crassioribus, & in humidioribus consistunt partibus, sed in tenuibus, atque siccis, ut dictum est; quapropter qui in propinquo est, non solum florum, sed herbarum, quin ipsius etiam terræ halitus haurit. Si vero paulum distet, non nisi subtiles, magisque vividas excipit, crassiores quippe avolare longe nequeunt, atque post levem excursum subsidunt.

§. XXII. Nec minoribus premitur observationibus, odores è propinquo videri maxime fœtidos, è longinquo vero suaves, adnotante Du-Hamel (1); etenim cum è propinquo crassiores sint halitus, emissi sensus olfactus effugiunt, longè tamen evadunt, atque id propter nares jucundè sollicitent, voluptatemque afferunt, ut

---

*tum, terrestria decidunt, quod sincerum est, et calidum, id ob suam tenuitatem ad sensus instrumentum perfertur. Sympos. 1. pag. 383.*

(1) *Pleraque cum admoventur, fœtent, cum remotiora sunt, suavissimè olent. de corp. affect. lib.* II. *pag.* 89.

ut eleganter innuit Lucretius (1)

§. XXIII. Hinc figura in aliam abeunte diversam, illico odor alteratur, et ex suavi ingratus fit; et vicissim, teste prælaudato Epicureo Poeta (2); nec mirum

---

(1) . . . . *Primum res multas esse necesse est,*
*Unde fluat, volvat varius se fructus odorum;*
*Nam fluere, et mitti vulgo spargique putandum est;*
*Verum aliis, alius magis est animantibus aptus*
*Dissimiles propter formas . . .*
*de Natur. rer. lib. IV.*

(2) *Quare etiam quod olet, non tam facile esse videtis.*
*Investigare in qua sit regione locatum,*
*Refrigescit enim cunctando plaga per auras,*
*Nec calida ad sensum decurrit nuntia rerum,*
*Errant sæpe canes, et vestigia quærunt,*
*De nat. rer. lib. IV.*

rum, cum neminem fugiat, quædam corpora frigida, calidave nullum emittere odorem, manu tamen fricta effectum peperisse, ut experientia satis superque docet.

§. XXIV. Nec silentio prætereundum, nonnullos suavem efflare sudorem, ut de Alexandro Magno historici referunt (1), cujus sudor maximè nares alliciebat; alii contra fœtent, ut Simi, qui plurimum noxio, horridoque halitu inficiunt. Alia hic adnectenda essent, sed ne in longum protrahatur oratio, libenter ea omitto, maximè quia apud illustres auctores exempla prostant.



PARS

(1) *Plutarch. in Alexand. vit.*

# PARS SECUNDA

*De Obſervationibus noxiorum odorum.*

INter quæſtiones, quæ in re medica pertractantur, quæque mirum in modum ingenia torquent, non immerito locum obtinet mechaniſmi noxiorum odorum in vivis animalibus inveſtigatio. Veteres ſaluberrimæ artis ſcriptores, quamvis aliquam de ſanguinis circulatione cognitionem haberent (1); de modo tamen, quo in viventibus animalibus odoriferi halitus agunt, in ineptias inciderunt. Sed poſtquam a duobus celeberrimis Italis P. Sarpio, et Cæſalpino, deinde a ſolertiſſimo Harvæo Philoſopho Anglo circulationis leges fuerunt detectæ, ne unus qnidem noxios odores cir-

---

(1) *Picturam, et adumbrationem hujus ſanguini circuitus veteres tradiderunt; ſic in Hippocr. lib. de oſſ. nat. in Ariſt. lib. de Juvent. cap. IX.*

circulationem ſanguinis deturbare, dubitavit; depravata enim ſanguinis circulatione non ſolum functiones, verum excretiones etiam perturbantur omnes. Quare quærendum nobis eſt primo, quæ prima circulationis ſanguinis ſit cauſa, quomodo hæc poſtea noxiorum ope halituum depravetur, ac eadem ſanguinis circulatio concutiatur.



# CAPUT I.

## *De Mechanismo noxiorum Odorum.*

§. I. MAgna inter doctos viros controversia agitata fuit, quomodo vita animalium in integritate conservetur (1): Nos vero cum recentioribus Philosophis machinam vivi animalis be-



(1) *Asclepiades essentiam vitæ animalium in integritate, ac proportione inter poros, et fluida sitam esse credebat. Qualitatem primariam juxta temperiem ex suis principiis Galenus superstruxit. Expeditum, æquabilemque sanguinis circuitum Pitcarnius tradidit, æquabilis liquidorum fermentatio erat Willisii effatum. Expeditum humorum placide effervescentium circuitum cum idoneo fibrarum tono Burnetus pro certo habuit. Inter solida, ac fluida proportionem esse docuit denique Hecquetus.*

ne ſe habere opinamur, cum fluida, ac ſolida, quoad craſim, atque ſtructuram æque cum ipſo motore concurrunt. Hinc demonſtrandum, quænam ſit fluidorum circulationis cauſa, quoniam hæc actio, quamdiu durat, vivere animal dicitur, et omnia, quæ omnino hanc actionem deſtruunt, ſunt profecto cauſæ mortis. Et quidem ut paucis id abſolvamus, ſpiritum aeris vitalem per trachæam ingreſſum, atque per patulas pulmonum venulas, cum ſanguinis particulis commixtum, circuitus fluidorum eſſe cauſam, nemo inficias ibit.

§. II. Apud omnes noſtræ ætatis Philoſophos exploratum jam eſt, plurimos aeris globolos in ſanguine vivi animalis eſſe incluſos; e quantitate enim, quam ſanguis in vacuo Boyleano præbet, ſat eſt perſpicuum, aerem magna copia in ſanguine viventium eſſe interius commixtum. Quare inſignis Philoſophus Batavus Swammerdanius oſtendit in aperto canis thorace, lentis ope, in pulmones adhuc calentes aerem ex ventriculo inflato preſſum in arteriam tandem pulmonalem tranſire, non ſecus ac in utrumque cordis

dis ventriculum (1), quod plurimis observationibus præclarissimi viri asseruere.

§. III. Aer igitur in asperam arteriam illapsus pulmones illico comprimit, qui velut sanguinis torcularia ab Alexandro Maurocordato considerantur, quoniam in inspiratione pulmonum vasa ampliantur, quæ alioquin conniverent; pulmones itaque sunt veluti folles a membrana quadam divisi mirificè debiles, ac spongiosis fibris præditi, summa quarum est 41635 (2), quæ retem mirabilem sanguineorum vasorum pro tegumentis habent: oportet igitur ut hæ ipsæ fibræ extensæ, tumèfactæque sint, & vicissim vasa, per quæ omnis transit sanguis, aperiantur, dilatenturque, quæ quidem ita sunt disposita, ut perquam facile folliculorum more confestim aperiantur, claudanturque. Quare, ut sanguis per pulmones permeare libere possit opus est, ut eadem viscera dilatentur.

§.IV. Neminem præterea rudem, inespertumque fugit, machinam humanam viventem Hy-

(1) *de Respirat, Sect. I. Cap. I.*
(2) *juxta cl. Hales emust. exper. X,*

Hydraulico Pneumaticæ esse similem, unde pulmones velut potentia quædam sunt considerandi; ex hydraulicis enim legibus haud obscure constat, motum partium fluidi in tubo contenti majorem fieri, cum mirum in modum ipse agitetur tubus: concussio idcirco pulmonum in humores contentos vasorum vibrationes ampliat, ut parietes eorundem pulmonum axi cavitatum accedunt, atque eorundem elastica vis partium unione augetur, ex quo ille oritur motus, qui humorum circuitus immediata est causa; quare pulmones, cum determinatum instaurent æquilibrium inter contentas partes, sunt fluidorum circulationis causæ.

§. V. Sanguis in venis est niger, in arteriis vero ruber, qui color a vitali aeris principio oritur, ac in pulmones irruit; hinc quo propior est vasis pulmonum, eo magis est coccineus: et solertissimi rerum Physicarum Scrutatores, humorem ovorum aeri expositum de candido fieri rubrum, manifestè observarunt

§. VI. In comperto etiam est calorem in san-

ſanguine ab aeris æthere excitari.

Hinc aer in ſanguine incluſus, calorem inducit, quia ejus particulæ ab eo oſcillatorio motu agitatæ, non ſolum concutiuntur, verum indeſinenter etiam moventur, & ut in horologiis idem motus oſcillatorius certa ac determinata ratione moderatur, ſic ſpiræ aeris, quæ ſanguinem ſubeunt, eum veluti fluvium ſecum vehunt.

§. VII. Cæterum in comperto eſt quæ ad vim cordis augendam ſunt apta, ad motiones animalium ſpirituum conſervandas mirum in modum etiam conferre, Spiritus animalis generatim ſumptus eſt fluidum mole minimum, maximo, aſſiduoque motu ex coſtanti chyli, ſanguiniſque reſolutione, ac intima ætheris; inſpiratione attracti, cum ſanguinis commixtione productum ad liquidorum ſolidorumque actiones in corpore perficiendas deſtinatum.

§. VIII. Arteriæ itaque temporales, quæ tamquam capillares tubi conſiderantur, inſtar tuborum agunt, qui liquores ejuſdem gravitatis ſpecificæ extollendi poſ-

 lent

lent vi, atque ut ſanguis una cum aeris principio ei admixto gravitate ſua exſiliat, efficiunt; quarum quidem diametri reliquis ſunt majores cum vero ſuperficies ſint ad ſoliditates in reciproca eorum diametrorum ratione, hinc tubus diametri decupli, decupla majori vi attrahit. Præterea inter omnia cola ſubſtantia cerebri corticalis, eſt in ſpecie multo levior, docentibus illuſtribus anatomicis, atque hinc pro minori reſiſtentia illic principium aeris per eam corticalem ſubſtantiam tranſiens, atque in ſanguine, gravitatis ope circumactum maxima vi pollet, atque idcirco majori etiam aptitudine ad conſervandas animalium actiones præditum eſt.

§. IX. Ex hactenus demonſtratis ſat manifeſtum eſt, ætherem aeris per tracheam ingreſſum, ac per patula pulmonum vaſa in ſanguine commixtum, efficere ejus motum, colorem floridum, ſplendentem, rubro-coccineum, atque calorem, ex quo œconomia vitæ animalium conſervatur: quare a vero non abludit quod Galenus innuit, ſcilicet impoſſibile

eſſe

esse viventem non respirare, & respirantem non vivere.

§. X. Cum igitur ex antedictis vitam animalium ab aeris æthere conservari, clarè apertèque sit demonstratum; nunc quomodo effluvia odorifera in animalibus, agant est inquirendum, ut qua vi animalem pervertere possint œconomiam intelligatur.

§. XI. Ut igitur ad argumentum enucleandum accedamus, operæ pretium est primo animadvertere multos scriptores in ea esse sententia, ut exputarent quosdam odores principiis sulphureis constare multo inter se diversis, quosdam vero principiis aliis longè dissimilibus: hinc eos reducunt ad genera duo, alios scilicet suaves, alios graveolentes, hos magnam obtinentes vim ad auferendum aeris spiritum, illos nullum detrimentum afferentes; elasticam vero vim noxiorum odorum pro ratione densitatis 4900c00000. majorem quam est vis elastica spiritus aeris, arbitrantur.

§. XII. Quoties itaque noxia odorata in cuiusvis vivi animalis machinam conspectum veniunt, halitus abique exhalan-

tes principium aeris illico destruunt; hinc aer, quem animal, ut respiret, hurire cogitur, cum spiritu vitali a graveolenti effluvio extinguitur, atque hinc motus sanguinis per Malpighiana pulmonum vasa moras nectit, quocirca cordis vis conatur intermissam sanguinis circulationem restaurare, & quidem conatu majori, ex quo sanguis summa cum velocitate refluere in venas cogitur: hinc corde pulmonum vicem subeunte, pulmones in statu manent medio inter majorem inspirationem, expirationemque, eorumdemque vasa in majori dilatatione inveniuntur; unde supervenientibus pectoris oppressionibus, frequens cordis jactatio oritur, quia sanguis in pulmonum vasa moram trahit, atque vesiculas pulmonum constipat.

§. XIII. Hinc Hales ostendit quo pacto minuatur altitudo jactus sanguinis in vivo animali: pro ratione scilicet majoris impetus a cordis actione accepti: hinc, si cor perturbatum non fuerit, minor erit sanguinis impetus, & jactus, sin contra, sanguis altius ascendet, quam antea.

§. XIV. Quapropter ex impedito sanguinis

guinis tranſitu per pulmonum vaſa, cum non poſſit, niſi minima quantitate per ea tranſire, illicò animi deliquia ſuperveniunt; quare magno niſu reſpiratio trahitur, atque hinc collum, atque facies turget, non ſecus ac vaſa palmonum omnia: nam venæ ſanguinem in arteriis ſanguinem tranfundere nequeunt.

§. XV. Supereſt, ut videamus, quo pacto ſæpe ſæpius noxii odores convulſiones in vivis excitent animalibus; & primo jam diximus ſanguinem celerius per vaſa fluere, quo validiori, celeriorique motu actio cordis concitetur: ob cordis vero impulſum compreſſionemque, dum movetur fit, ut ſiniſter cordis ventriculus remaneat vacuus, hinc dexter una cum arteria pulmonali ſanguine ſuperfluo repletur, turgeſcente igitur corde, ejus fibræ derepentè diſtrahuntur.

§.XVI. Hoc poſito: convulſionum effectus clarè intelligitur: moleſtia oriri primo ex nervorum titillatione videtur, ſecundo ex ſciſſione eorum continuitatis: ſic experientia quotidie docet micam panis

 gut-

guttur ingressam earum partium convulsionem illico afferre, quod idem sæpissime in catarrhalibus fluxionibus accidit, quæ internam tracheæ tunicam titillando motum illum convulsivum tussis excitant.

§. XVII. Ex his igitur facili negotio colligitur, arterias pulmonales sanguine repletas turgescentes comprimendo membranas, eandem titillationem afferre posse: altera deniqua convulsionis causa, oritur ex interruptione particularum aeris in sanguine circumeuntis; etenim obstructis vasorum viis necesse est, ut omnes spirituum motiones intercipiantur; nihil mirum igitur si in vivo animali motiones sensitivæ, motusque loca les perturbentur, obtenebrando scililicet sensus, unde motus illi convulsivi eveniunt.

§. XVIII. Patent itaque causæ cur ab halitibus noxiis convulsiones in vivis animalibus excitentur; unde perquam facile intelligitur, cur mulieres uterum gestantes gravi odore abortum patiantur: intelligitur præterea cur porro qui amylon conficiunt convulsionibus vexentur: quod etiam

etiam halitus ſerpentium præſtant ut plures integræ fidei ſcriptores referunt. Quin Cromerus (1) Oliverium Carrafam Cardinalem ſolo roſarum odore veneno delibutó fuiſſe extinctum narrat; eodem modo post quatuor horas periit apud Lusitanos illuſtris Antonius Brigantinus Ducis Brigantini filius ex odore faſciculi floribus ſuavibus circumtexti, qui præſentaneo veneno erant delibuti. (2)

§. XIX. Ex Hiſtoricis conſtat ſerpentes ſuo virulento halitu exercitum totum infeciſſe, & veneficum aerem, milites inſpirantes occubuiſſe: quod perquam facile ex viperæ, aut ſerpentium volantium multiplicitate fieri potuiſſe ſuſpicor; quæ cum ictu malefico, tum veneno per aerem interſperſo milites eos letho tradere potuerunt (3).



(1) *Lib- VIII. de rebus Polonicis.*

(2) *Paræus Lib.XX. de Venen.Cap.VII.*

(3) *Dari viperas volantes firmat Iſajas dum ſic loquitur: in terra tribulationis & anguſtiæ ex iis regulis, & vipera volans . . . cap. 30.*

§. XX. Lucanus dum miſerias, morteſque quas paſſus eſt exercitus Catonis in Africa enarrat venenatorum illius climatis morſus, quibus plurimi iteriere; triſtiſſima, & infelici morte venenata dinumerans, ſcripſit, & ſerpens vectator aquæ, iaculique volucres (1). Non eſt ergo negandum venenum ſolo olfactu poſſe interimere.

§. XXI. Aer præterea, cum majorem puritatem hyemali, quam æſtivo obtineat tempore, nam tunc calor majori quantitate partem principiorum ſulphureorum deſtruit, ideo odores damnum ſpeciatim afferunt Æſtivo magis, quam hyberno tempore, atque magis diurno, quam nocturno, ac denique magno ſunt detrimento in regionibus fervidis, quam in frigidis.

CA-

(1) *Lib. IX. & Plin. Lib. VIII. Cap. XXV. Ælian. lib. I. Cap. VI. Ætius tetrab. IV. Serm. I. Cap. XXVII.*

# CAPUT. II.

## *Quare nunc odores sint Mulieribus damno, cum olim essent eis Voluptati.*

§. I. EXplicatis iis, quæ ad odorum explanationem, eorumque genesim pertinent, sequitur ut eorum phœnomena percurramus; quapropter digna exquisitione res est, cur odores veteribus mulieribus nil eorum effecerint, quæ nostris speciatim temporibus iis contingere videmus, cum hystericis affectionibus fiunt obnoxiæ. Priusquam vero ad quæstionis nodum dissolvendum accedamus, de odorum usibus penes veteres nonnullas adstruere notitias, oportet, ut postea nostra magis magisque confirmetur opinio.

§. II. Quoties mecum ipse volvo quid de odoribus veteres senserint, toties eos in diversas abiisse sententias plane coniicio; si eorum enim historias evolvamus, quosdam populos tam parvi fecisse odores in-

inveniemus, ut qui iis se dicaret, effœminatus illico haberetur, & omnino mollis ; alios vero citra ullam infamiæ notam odores prosequi non veritos esse.

§. III. Greci tantum abest, ut aliquid ex odoribus voluptatis perciperent, quin eos potius respuerent ; memoriæ quippe proditum est, Alexandrum Magnum cum in Darii vestibus quosdam invenisset odores in theca quadam clausos, iracundia non solum, ac furore accensum eos a se abjecisse, sed suos hortatum amicos, ne umquam odoribus uterentur : ratus nempe indignum esse viro, qui arma sequeretur, in hujusmodi versari deliciis (1)

§. IV. Inter Græcos, nemo quidem nescit Lacedæmones gentes bello subactas odoribus uti ita interdixisse, ut dum quispiam se ipsum odoribus devoveret, effœminatus haberetur, perinde ac si odores debilioris essent sexus. Hinc minime mirari subit, si non

(1) *Plin. nat. hist. Lib. XIII. Cap. I.*

si non pauci integræ fidei scriptores in ea fuerint sententia, Solonem Atheniensem, & Lycurgum Lacedæmonem legislatorem sanxisse, ne quis odorata unguenta; uti hominum societati exitialia, utque infesta, venderet; quod & apud Romanos cautum erat; cum etenim P. Lucinium Crassum, & L. Julium Cæsarem Censores quidquam odorum vendere Romæ vetuisse, Plinius memoriæ prodidit.(1)

§. V. Sed statim ac divitiæ in ea Urbe locum obtinuere, in comperto est, Romanos a pristinis recessisse moribus, postquam in unum præsertim potestas fuit translata; hisce enim temporibus summopere odoribus erant addicti, adeo ut non tantum, quæ suaviter redolebant in deliciis haberent (2); sed palato, atque odo-

(1) *Lib. XII. Cap. III.*

(2) *Apposite Martialis.*

*Pinquescat nimio madidus mihi crinis amono,*

*Lassenturque rosis tempora sutilibus.*

odoratui satisfacerent (1); ut de Apicio fertur, qui ut locustas comederet, data opera Africam navigavit; sicuti quidam ut alius, suum ostenderet fastum, sanguine humano, odoriferisque aquis sua commiscebat alimenta; si fides Athenæo est habenda.(2)

§. VI. Ex Historicis insuper constat, Romanos priusquam accumberent, comam nutriisse (3), interque exquisitiora, tutioraque præsidia non solum capita floribus diversimode contextis cinxisse ut refert

(1) *Hinc Juvenalis sat. II. sic memoriæ prodidit.*

*Interea gustus elementa per omnia quærunt.*
*Quamquam animo pretii obstantibus, interius si,*
*Attentas magis illa juvant, quæ pluris emuntur.*

(2) *Lib. I. pag. 3.*

(3) *Sic Horatius:*

*. . . . . Pete unguentum puer, & coronas,*
*Et cadum Marsi memorem duelli.*

fert Ovidius (1), sed floribus pateras circumdedisse, variosque in eas immergere flores solebant, id testante Mantuano Poeta. (2)

§. VII. Exploratum porro est Romanos, quoties ad balnea accederent odoriferis se se inunxisse unguentis, quod non solum ab ægris, verum etiam a sanis munditiei studiosis fuit summopere adhibitum

---

(1) *Eximia veste, & victu convivia ludi.*
*Pocula, crebra, unguenta coronæ serta parantur . . . lib. IV.*

(2) *Tum Pater Anchises magnum cratera corona*
*Induit implevitque mero, divosque vocavit.*
*Lib. I. Æned.*
*Hanc Virgilii sententiam ita Ovidius exprimit:*
*Sole tamen vinoque calent, annosque procantur,*
*Quot sumunt cyathos ad numerumque bibunt.*
*Juvenes illic, qui Nestoris ebibat annos*
*Quæ sit per calices facta sybilla suos.*

bitum, teſte Petronio Arbitro (1). Neque unguentis tantum ſuum ungebant corpus, ſed parietes etiam (2); quare a balneis Heliogabalus Imperator ſe abſtinuit, donec parietes inunctos eſſent unguentis (3); & ſi pluries una die balnea ingreſſuri eſſent, toties ſe ſe odoribus inungere debebant, uti ex Plauto colligere eſt.(4)

§. VIII. Si vero inquiramus cauſam, cur id apud Romanos in more poſitum eſſet; non aliam profecto fuiſſe, niſi ut ſuum faſtum, atque luxuriem oſtenderent, clare deprehendemus, quod ſtomachum, bilemque non peregrinis modo, ſed ipſis etiam movebat Civibus, ita ut Romanæ eloquentiæ decus Cicero, cum nulla um-

(1) *Itaque intravimus balneum, & ſudore madefacti momento temporis ad frigidam eximus, jam Trimalcio unguento perfuſus tergebatur.*

(2) *Vid. noſt. Oper. de Bagni Freddi par. I.*

(3) *V.Lamprid. in Heliogab.*

(4) *Quid multa verba faciam, ubi tu laveris;*

umquam ratione intollerabilem Syllæ liberti faſtum ferre poſſet, vehementiſſimo impetu in eum irrupit. (1)

§. IX. At Veſpaſianus Romanam juventutem cum nimis mollem effœmminatamque vidiſſet Vatiniano odio proſequi cœpit; nam cum quidam elegantiſſimus juvenis odoribus inſtructus eum conveniſſet, gratias pro præfectura ſibi delata acturus, obtorto ſupercilio, heus tu, inquit, melius hercle eſſet, ſi allio oleres. (2)

§. X. Notatu inſuper eſt dignum, quod immoderatus unguentorum, aliorumque corporum ſuaveolentium uſus mulieribus, hominibuſque erat communis, quemadmo-

*Ibi ut balneator faciat unguentariam in Pænulo*

(1) *Ipſe vero quemadmodum compoſito, & delibuto capillo paſſim per forum volitet, cum magna caterva togatorum videtis Judices . . . in orat. pro Roſ. Am.*

(2) *Sveton. in vit. Veſpaſ. cap. VIII.*

modum hac de re Ovidius (1), Juvenalis (2), innumerique veteres ſcriptores clarè apertèque tradiderunt.

§. XI. Illud poſtremo e tot inexhauſtis Romanorum fontibus ad odoratum ſatisfaciendum colligere juvat, quod cum Matronæ concinnarent crines, magnam in iis odorum copiam effundebant, ut claris apertiſque verbis Tertulianus libro de Fœminarum cultu patefecit.

§. XII. Sed in Diis ac vita functis hoc quoque apud Romanos fuiſſe uſitatum, veterum monumenta teſtantur; neminem quippe fugit, antiquiſſimis Reipublicæ

---

(1) *Sepæ meæ dixi tandem diſcede puellæ.*
*In gremio ſedit protinus illa meo.*
*Lib. I. Amor. eleg. XVIII.*

(2) *Signatæ tabulæ dictum feliciter, ingens Cœna, ſed in gremio jacuit nova nupta mariti. ſat. II.*
*Et Anaxander apud Athenæum lib. XV.*
*Cæterum veluti nympha, quam Baſilidem nuncupant.*
*Corpus unguento Megalino adlinit.*

blicæ temporibus ii ſepultura utebantur, quæ cum cadavere odoribus conſpergebatur; florentibus vero opibus cadavera cremata fuere, pyræque in aræ formam extructæ cum cadavere circumpoſitis odoribus, ſimulque cupreſſis urebantur, quod vulgo Rogum nuncupabatur.

§. XIII. Hanc autem Romanorum conſuetudinem in toto fere terrarum orbe fuiſſe, coniicere licet ex eo, nam quum maximam mundi partem armis occupaſſent, totque populos ſuæ ditioni ſubjeciſſent, ipſorum more vivere, odoreſque adhibere debebant; quare nulla gens pluris odores facere, quam Romana conſuevit.

§. XIV. Haud longe a Romanis Ægyptii diſcreparunt, eos namque magnam odorum copiam effundere conſueviſſe, auctorum teſtimonia non deſunt. Apud Plutarchum de Regina Cleopatra Ptolæmei filia legitur, cum primum cænam chariſſimo amanti M. Antonio paravit, roſis ædem ſubſtraviſſe, ut homines per roſas perambularent (1). Eadem Cleopatra in alio

D con-

(1) *In Marc. Anton. part. II.*

convivio, quod eidem Antonio instruxit, craterem redimivit floribus, ut melius ad bibendum amantem alliceret, teste Plinio. (1)

§. XV. Plura adhuc, ut metam attingamus, eruuntur e scriptoribus de Hæbreorum usibus, quoniam isti non solum magni faciebant odores, sed & omnia redolere sinebant. Hinc Mariam Magdalenam Divini Redemptoris pedes pretioso unxisse balsamo, atque sanctissimum caput odorifero liquore adspersisse, ex sacris Evangeliis luce meridiana clarius patet, atque Tertulianus etiam comprobat. (2)

§.XVI.

---

(1) *Histor. Nat. lib. XII. cap. III.*

(2) *Lavatis in aureo quodam solio; unguento*
*Ægyptio pedes linit, & crura,*
*Penicillo buccas, & ubera*
*Silymbrino vero utrumque brachium:*
*Amaracino supercilium, & comam*
*Serpyllino cervicem, atque genua*
*Lib. II. de Pudicit. cap. II.*

§. XVI. Hactenus quomodo veteres usi sint odoribus; in immensum autem pagina excresceret, atque a proposito aberrarem, si omnes antiquorum usus inferiora tempora prospicientes hic attexerem. Reliquum est, ut circa transacti ævi usus nonnulla adiiciamus.

§. XVII. Maximi apud exteras, barbarasque nationes fuisse odores, neminem ferme latet, quamquam enim antiquorum mores paulatim sint immutati, odorum tamen usus est adhuc superstes.

§. XVIII. Qui terrarum orbem peragrarunt, sat testantur Sinæ priusquam eorum Reges dormitum se conferrent, cubilia perfundere odoribus consuevisse, sicut etiam dum mane e somno surgerent, permulti homines aderant, quidam varia pulsantes instrumenta, & quidam varios præbentes odores, ut clementes, benignique erga populos assurgerent.

§. XIX. Neque ab iis Meridiani populi penè omnes discrepant, qui magis odorum genera, quam panem pro victu absumunt, ita ut quascumque secum ad nuptias ducunt mulieres, variis odorum

generibus exornent, ut illustres viatores referunt, qui ad hæc usque tempora hunc apud eos permansisse morem testantur.

§. XX. Haud obscure patet usus apud Transalpinos populos condiendi cibos odoribus, quorum haud pauci in nostras pervenere regiones, & ita eleganter, jucundeque fiunt, ut palato dulcia permultum evadant.

§. XXI. In Italia semper permagni odores sunt habiti; nemo enim ignorat quantopere odoribus delectata sit magna Ducissa Victoria Rovere, quæ immensos exhausit thesauros ad odores comparandos, quid de antiquis Ferrariæ Principibus dicam, qui simul ac e cubili mane exhibant, illud gratissimis, odoriferisque aquis conspergi jubebant, & dum sese lavabant, selectis, pretiosisque unguentis uti solebant. Sed quid externa perquirimus, cum domesticis abundemus exemplis? In ipsa Parthenope ecquis erat (quem aliqua commendaret nobilitas) qui odoribus unguentisque non oblectaretur Digna igitur disquisitione res est,

cur

cur odores veteribus mulieribus nil eorum effecerint, quæ noſtris ſpeciatim temporibus iis contingere videdemus, cum hyſtericis affectionibus fiunt obnoxiæ.

§. XXII. Nonnulli non infimi ſubſelli Philoſophi ad hunc argumentum extricandum in varias abiere ſententias. Quidam ex Epicurea ſchola maximis difficultatibus obruti, cum hujuſmodi arcana explicare vellent, ad figmenta Philoſophio minime digna confugerunt; naturam propterea omnium procreatricem oblitam eſſe modi, ſtatuerunt, quem prius in procreandis hominibus adhibuit; hinc diverſam hominibus dediſſe temperiem, diverſumque partium ordinem, ſicque variam nobis ſenſationem nunc obiecta afferre, quam priſcis temporibus inducebant. Quod egregiè Lucretius comprobavit (1).

 §. XXIII.

(1) . . . . . *Omnia denique membra*
*Ante fuere, ut opinor, eorum quam foret uſus*
*Haud igitur potuere utendi creſcere cauſa. Lib.IV. da Nat. rer. v.*838.

§. XXIII. Futilem, inanamque esse hanc opinionem, nemo inficias ibit; cum enim natura numquam in procreandis corporibus permutavit ordinem, eadem jugiter principia adhibuit, quibus homines nostræ tempestatis eodem modo sunt geniti, ac veteres; neque umquam visum fuit, nares pro oculis, vicissimque gessisse vices, iuxta Ecclesiastici effatum (1).

§. XXIV. Quamvis autem sæpe sæpius quosdam odores aliquibus esse voluptati contigerit, alios aliis haud item, id tamen, ni fallor, non ex alio accidere arbitror, nisi ex varia fibrarum constitutione, cum omnes non ignorent temperamen-

(1) *Quid est, quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est, quod factum est? ipsum quod faciendum est? Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est, jam enim præcessit in sæculis, quæ fuere ante nos.* Cap. I ver. 9.

ramentorum, ætatum, regionumque diverſitatem

§. XXV. Neque veriſimile eſt, terram olim alios produxiſſe odores, uti a nonnullis noſtræ ætatis ſciolis aſſeritur, quaſdam plantas pro recentibus haberi, cum perbenè a veteribus cognitæ fuerint, Sic Citrum a pluribus pro recenti habebatur vegetabili, apud Romanos tamen maxime erat vulgare, teſtantibus Virgilii carminibus Georgicarum (1).

XXVI. Alii vero in ea ſunt ſententia mulieres noſtri ævi male ſe gerere in diætetica; ſed iis reſpondetur, Romanas



(1) *Media ſert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem,*
*Felicis mali, quo non præſentius ullum*
*Auxilium venit, ac membris agit atra venena,*
*Ipſa ingens arbos, faciemque ſimillima lauro,*
*Etſi non alium latè jactaret odorem,*
*Laurus erat, folia haud ullis labentia ventis,*
*Flos apprime tenax. Lib.* II.

Græcasque matronas quibuscumque commoditatibus plenam duxisse vitam, atque semper in deliciis fuisse, odoribus sine ullo tamen detrimento utebantur, quod verbis Archestrati apud Athenæum confirmatur (1). Alia eruditorum excogitata hic afferre sistimus, cum magis hypotheses, quam rectam doctrinæ normam exhibeant, ideoque vela contraimus.

§. XXVII. Proximum nunc est, ut accuratè, dilucidèque ex ordine diversorum odorum effectum demonstremus, ut nil eorum, quæ aliquid utilitatis præseferunt, omittatur. Quantam in rebus agendis vim consuetudo, ususque habeant, neminem rudem, inexpertumque fugit: consuetudo enim in certa partium humani corporis, quum solidarum, tum fluidarum ad certos repetendos motus aptitudine consistit, quæ ab assiduis actionibus, repetitisque exercitatio-

---

(1) *Ut semper habeant caput floribus omnis generis, quos terra ferat, redimitum. & unguentis liquidis, et suavibus comam delibutam. lib. XI.*

tationibus originem ducit: ita ut usus repetitus in vivis corporibus non solum partes corporis immutet, verum etiam confirmet.

§. XXVIII. Hinc magna, admirandaque consuetudinis, usuque potestas est, ut non solum corpus, sed animum etiam afficiat, uti ad rem nostram Medicinæ Parens Hippocrates graphicè demonstravit (1). Quapropter cum temporibus nostris apud omnes odorum usus ferè sit obsoletus, nil mirum est, si ex iis damnum mulieres recipiant.

§. XXIX. Id porro manifestum sit ex eo, quod mulieres agris addictæ, etsi quotidie in odoriferis versentur floribus, nullum tamen ex iis detrimentum capiant, nec alia

(1) *Ex multo tempore consueta in consuetis molestare non solent, etsi sint deteriora. Sect. II. Aphoris.* 50.
*Si quis aliquid mutare volet, etiam si perniciosum sit, paulatim hanc mutationem insistere debet, quod enim paulatim, ac successivè fit, illud toto fit. sect. II. Ap.* 49.

alia est ratio, quia semper cum eis versari solent, sicuti vetustarum mulierum mos erat; quare cum odores parum in usu sint in civitatibus , nil mirum est , si inibi morantes damno afficiant . Quamobrem Mitridates , cum paulatim in juventute bibere venenum consuevisset, necem sibi dare volens , majora, grandiaque veneni pocula hausit, at nullum passus est detrimentum , ut ex Martialis versibus colligere est (1) .

§. XXX. Præterea cicuta apud homines magnum, efficacissimumque existimatur venenum, nihilominus ob consuetudinis efficaciam ipsa est ovium alimentum , testante etiam Lucretio (2).

§.XXXI.

---

(1) *Profecit poto Mitridatis sæpe veneno.*
*Toxica ne possint sæpe nocere sibi*
*lib. IV. 77.*

(2) *Quippe videre licet pinguescere sæpe cicuta,*
*Barbigeras pecudes homini , quæ est acre veneuum.*

§. XXXI. Hæc mea imbecillis aſſertio ex vinoſis, temulentiſque viris comprobatur, qui quamvis prius parva ex vino patiantur damna, temporis tamen progreſſa aſſueti, magnam vini quantitatem ſine aliquo detrimento hauriunt.

§. XXXII. Multoties vero Primatum exemplum tanti eſt, ut mulieres in urbe morantes odores damno afficiant, ſic in Hiſtoriis de Dionyſio Tyranno habetur, qui cum magnum Platonem advocare Syracuſas juſſiſſet, ut operam philoſophiæ ſtudiis daret, eamque juvenes docuiſſet, illico evenit, ut omnes ſiculi toto ad eam conatu incubuerint, donec Rex eis operam navavit; qui ſtatim philoſophiæ inimicus evaſit, cum eo ſecum omnes ſuos duxit ſubditos, jamque componitur orbis regis ad exemplum; ſed haud ſemper mulieribus odores afferunt damnum, nam pluries ipſæ data opera paroxiſmis hyſtericis ſe correptas eſſe ſimulant, ut ſenſibilem, debilemque promant naturam, ac viris ſint miſerationi.

§. XXXIII. Concludendum igitur eſt,

ea phænomena, quæ in mulieribus odorum causa hodie conspiciuntur, non aliunde esse repetenda, quam a vitæ genere ab antiquo prorsus diverso.



PARS

# PARS TERTIA

## *De Odorum, & Fœtorum,*

## DIVERSITATE

RÉcensitis iis, quæ ad odorum productionem, eorumque naturam pertinent, ordo postulat, ut eorum diversitatem, & causas, quam brevissimè possumus, percurramus. Cum vero effectus varios, ac mira phænomena in corpore nostro ex odorum vi emergant, principia, quæ eos constituunt, describamus, necesse est, principiorumque vitia explanemus.

# CAPUT I.

## *De Odorum Diversitate.*

§. I. PLantæ, omnes, sive eorum cortices, ligna, semina, flores, radices, gummi, aliæve partes, in quibus spiritus volatilis plerumque gratus detegitur, suavem emittunt odorem. Odores enim in tribus naturæ regnis reperiuntur, nempe vegetabili, animali, ac fossili, ratio igitur postulat eadem hac in quæstione sequi.

§. II. At primo differamus de Odoribus ex indigenis vegetabilibus extractis, qui ad normam scientiæ chemicæ examinatis, sequentia per se emergunt principia; nempe destillatione Lavandulæ præcipue, Rosæ, Rosismarini, & Lauri obtineri clarè videtur oleum essentiale volatile, sulphureum.

§. III. Ex his vero oleum essentiale destillatum fragrantissimum mirum in modum in affectionibus paralyticis, atque nervinis tum internè cum saccharo mixto,

ro, tum externè nucham, & ſpinam dorſi inungendo, commendatur. Vertici quoque capitis illitum reſtaurare olfactum amiſſum alii ſcripſerunt.

§. IV. Familiare eſt morbum infantibus præcipue, ut nares obſtruantur, atque difficulter reſpirent, cui incommodo oleum Lavandulæ, vel Roſmarini externè naribus illitum nonnulli non infimi ſubſellii Medici ſuccurrere manifeſtè viderunt.

§. V. Spiritus vero vegetabilium indigenorum partibus ſuis ſulphureis ſubtilibus nervoſas fibras ad oſcillationem ſtimulant, eaſdemque, ubi ſint nimis laxæ, ac debiliores, ad priſtinum robur reſtituant, atque humores craſſos in partibus immorantes diſſolvunt, unde in catarrhis, apoplexia, paralyſi, vertigine, menſibus, & fœtu pellendis plurimum commendantur.

§. VI. Deſtillationis ope ex vino præcipuè, ſpiritus vini elicitur, qui internè ſumptus ad ſenes, debileſque reficiendos optiſſimus recenſetur, nec minoris ſunt utilitatis in illis affectibus, quæ a nervorum laxi-

laxitate pendent. Sed notandum hic est, eorum usus moderatum esse oportere; immodico enim sanguis æstuat, atque accenditur.

§.VII. Vegetabiles vero aromatici destillationis ope plurimam olei essentialis, ac liquoris acidi portionem non mediocrem continent, ita ut si in vasis accuratè clausis non serventur, magna eorum copia in auras dissipabitur.

§. VIII. Oleum igitur eorum vegetabilium non solum in paralyticis, & in rheumaticis affectionibus externè admotum confert, verum etiam intus sudores & secretiones pellet, quapropter viscera corroborat, sanguinis motus auget, & in frigidis nervorum affectionibus plurimum valet. Sic etiam spiritus, quia sensus omnes reddit vegetiores, remedium est in ventriculi imbecillitate, nausea, atque in digestionis defectu; quin in syncope, viriumqne prostratione experientia quotidiana omnium gentium usum spirituum aromaticorum laudat mirificè.

§. XI. Observaudum, tamen est immoderatum, ac importunum olei oromatici,

tici, ac ſpiritus uſum ventriculum ad inflammationem diſponere, ejus fabris criſpare, unde acriores, ſpiſſioreſque corporis noſtri ſucci fiunt, ac per vaſa tardo circumeunt motu, necnon imperfectæ ſecretiones fiunt.

§. X. Balſamica propriè vocant Medici lacrymas plantarum inflammabiles odoriferas mollioris conſiſtentiæ, qualia ſunt Balſamum Peruvianum, Tolutanum, Copaivum, cætera; ex his enim oleum extrahitur, quod illicò ſacchari inſtar in ſal concreſcit, candidum velut camphora; Commendantur balſama ad pulmonum tubercula cruda diſcutienda, atque infarctus pulmonales expediendos intus exhibita; felici etiam cum ſucceſſu exhibentur in dyſenteria, in internis ulceribus renum, ac veſicæ, & in albo mulierum fluxu; ita ut Mulieres Ægyptiæ ſteriles Balſamis epotis, aut ſuppoſitis ad removendam ſterilitatem utuntur.

§. XI. Externè vero nullum eſt medicamentum, quo magis, ac frequentius Chirurgi medendo utantur, quum Tolutanum, aut Peruvianum ad vulnus ob-

ducendum mirificè conferat, Cavendum tamen est, ab interno balsamorum usu, ubi adsit inflammatio, aut saltem summo cum studio adhibenda sunt.

§. XII. Ex animalibus denique prodeunt odoramenta, uti sunt Moschus, Castor, Civetra, & Zibethus, quæ sulphure, & sale volatili constant, ac naturæ sunt attenuantis, discutientis; unde contra palpitationes, aliasque cordis affectiones commendantur; imo in doloribus, in inflammationibus, ac in tumoribus ex crassis humoribus provenientibus intus adhibiti plurimum valent; externum eorum usum, quod attinet, pro fugandis oculorum ungulis, atque pro desiccantis eorum humoribus felici cum successu usurpantur.

§. XIII. Notetur tamen, qui delicatioribus spiritibus animalibus, & irritatu facili nervorum textura gaudent, zibethi, castorisque odorem perferre non posse.

§. XIV. Nemini denique latet sternutationem, & serosam humorum evacuationem Tabacum naribus propinatum excitare, ideoque ad fugandam Paralysim apo-

apoplesiam, catarrhos, emicraniam, fluxiones utilissimum esse, præsertim inassuetis, illius vero usus & moderatus, & opportunus esse debet; hinc ab eo abstinere debent mulieres gravidæ, nimis menstruatæ, atque juvenes, nimia enim tabaci quantitas non solum capitis gravitatem, sed etiam convulsionem, ac lethargum infert.

# CAPUT II.

## *De Fœtorum Diversitate .*

§. I. OMnia quæ ingratum , & satis penetrantem halitum eiiciunt, Fœtentia dicuntur. Indigenæ igitur Plantæ, quæ gravem spirant odorem, & fœtent ex sale ammoniacali cum oleo cum tenui , tum crasso , acri , copioso, ac ad sese ubique diffundendum idoneo , conjuncto, constant .

§. II. Hinc Alexipharmacorum instar in morbis contagiosis, & adversus venena frigida intus sumpta a nonnullis præstantissima habentur . Olea vero ex iisdem extracta incidunt , attenuant, atque detergunt.

§. III. Spiritus ex vegetabilibus insuavibus putredini resistunt , sternutamenta excitant , asthmaticis mirum in modum conferunt, atque ciborum appetentiam , & concoctionem præbent . Quare militibus , colonis , atque nautis crudas aquas, aut corruptas , vel alimenta pravæ , aut difficilis coctionis , allio , vel cepa corrigere moris est.

§. IV.

§. IV. Externè vero & olea, & ſpiritus eorum vegetabilium tumores frigidos magna efficacia reſolvunt, vermes interimunt, porriginem, atque pſoram ſanant: advertendum tamen eſt, iſta remedia cum interna, tum externa minime convenire, ubi calidum detur temperamentum.

§. V. Fœtores vero exoticorum Vegetabilium ex ſulphure cum tenuiore, tum craſſo copioſo non mediocris ſalis acidi portione, exigua volatilis urinoſi quantitate, componuntur. Veteres multas, & preclaras virtutes oleis empireumaticis ex ſœtoribus extractis tribuerunt, nimirum narrant, illa intus ſumpta paralyſi, & nervorum vitiis mederi, menſes, ac urinam ciere, concoctioni ciborum conferre, atque venena extinquere.

§. VI. Externè tumores reſolvunt, atque venenatis animalium venenatorum ictibus, ulceribus haud matureſcentibus, carbunculis excreſcentibus circa ſedem felici cum ſucceſſu conferunt, adhibenturque a Chirurgis.

§. VII. Spiritus vero ex Fœtoribus pro

pellendis mensibus, & secundinis multo conveniunt: sudores, ac excretiones magna vi movent, humores malignos a censro ad circumferentiam pellunt: quare in Febribus putridis, & in nervorum affectionibus plurimum commendantur.

§. VIII. Ex Fœtoribus vero Balsamicis analysi chimica olea tenuiora limpida eliciuntur, & inter vulneraria medicamenta recensentur; hinc a quibusdam Medicis in pulmonis, ventriculi, intestinorum, hepatis, & cæterorum viscerum exulcerationibus utiliter præscribuntur, externè vero ulcera expurgant, & vulnera recentia glutinant.

# PARS QUARTA

## *De odorum Genesi, & de suffimentis.*

OLfactus est velut quidam explorator in ea corporis parte collocatus, ut, quæ salubria sunt, aut perniciosa diiscernat, neque ulla est regula ad rerum vires, & temperationes diiudicandas magis idonea, quam ea, quæ ex variis odorum differentiis depromitur: hinc explicatis iis, quæ ad odorum naturam pertinent, superest ut de eorum genesi, ac de suffimentorum proprietate perpauca disseramus, quibus denique addendum duximus diversorum odorum, fœtorumque Catalogum.

# CAPUT I.

## *De Odorum Genesi.*

§. I. Variæ, ac diversæ productiones ex corporum conjunctione excitari solent, quæ a corporum natura, & compage depromuntur: ratio igitur postulat ut perpauca de hac odorum genesi enarrentur, ut nostrum argumentum magis, magisque illustretur.

§. II. Ex mistura duorum corporum, quæ odoris sunt expertia, odor vegetus, & ingratus prodit. Ut cum calx viva, & sal armoniacus simul confunduntur: odor scilicet urinosus exhalant, quod salis volatilis particulæ sursum tollantur, & nares feriant.

§. III. Ex duobus corporibus simul permistis, ut ex duobus partibus olei terebinthinæ, & una spiritus vitrioli leni igne distillatis, liquor clarus exit, odoris ab utroque diversi; nam sulphur planè redolet.

§. IV. Spiritus nitri, aut aqua fortis ex admistione spiritus vini, suavem odorem

rem contrahit. Quod si loco spiritus nitri, spiritum salis communis, qui in salis petræ præparatione est plurimus, eodem modo cum spiritu vini purissimo paraveris, liquorem habebis odoriferum.

§. V. Vini Hispanici duabus libris si paucas uncias spiritus vitrioli, & cærulei addideris, ac simul digerantur, gratum odorem ea mixtura præseferet; sed odor longè erit suavissimus, si spiritui vini purissimo spiritus vitrioli æquale pondus pro aliquot hebdomadas digerendum adjeceris, & liquorem exstillaveris; sic sal tartari succe cæparum perfusus, & per unum aut alterum diem digestus, allii odorem contraxit.

§.V. Moscho optimo spiritum vini purissimum affunde, adeo ut liquor digito emineat, in vase vitreo accuratè clauso per aliquot dies citra calorem digerendum colloca, donec spiritus vini tincturam aliquam, quæ tamen rubea non est, adeptus fuerit; eam tincturam in vas aliud effusam, ut exquisitam serva: Moscho in vase residuo tantundem spiritus vini iterum affunde, qui tardius quidem,

 & de-

& debiliorem tincturam, vel ut loquuntur, essentiam è Moscho elicit, quam alteri phialæ impone; quod reliquum est Moschi ad alios usus adhiberi potest.

Sed quod ad rem nostram magis pertinet, prior tinctura non multum fragrat, & vix eam aliquid moschi exolvisse quis crediderit; & tamen si vel illius guttam vini Hispanici, aut alterius vini optimi libræ miscueris, odore Moschi illud statim perfundet.

Plura in hanc rem afferri possunt, sed ne in longum protrahatur sermo, ea omitto, maxime quod apud Cl. Boyleum exempla de odorum genesi prostrant.

# CAPUT II.

## *De Suffimentis.*

§. I. SUffitus est medicamentum siccum ex tribus naturæ regnis desumptum; nempe vegetabili, animali, ac fossili, cujus accensi vapore per atmosphæram diffuso ad delicias non solum, sed ad morbos etiam fugandos uti licet: in iis vero maxime partes solidæ recipiuntur, & densi succi, quæ carbonibus ignitis injecti in clausis suffimugentur cubiculis.

§. I. Et, primo ad aeris contagium corrigendum, Thus, Laudanum, Styrax, Ambar & Bezoinum insigniter adhibentur: quia cum grati odores a mente percipiuntur, cerebrum, ut diutius fruatur ista amænitate, poros suos undequaque comprimit; atque hoc modo suaveolentium fragrantes halitus longè copiosiores corrigunt miasmata. Hinc longa esperientia confirmatum est, parietibus styracis, & belzoyni suffimento oblinitibus perire & penitus extinqui pestilentiæ fomites. Unde etiam

veteres istorum suffimis ad aerem alterandum, purificandum & a putridis igentis contagiosisque ac venenatis miasmatibus expurgandum, usos fuisse, liquet ex Homero, ubi Ulysses ad purgationem suæ domus petit suffimenta (1).

§. II. Suffimenta vero camphoræ, ad oculorum affectiones, & ad maligni moris febres utiliter commendantur: observandum est nimium istorum odorum usum caput gravare, vigilias inducere, quocirca non nisi cautè & moderatè assumenda sunt.

§. III. Ad Hystericas autem affectiones, atque Hypocondriacas corrigendas castoris, Asse-fetidæ, & Galbani suffimenta præscribuntur, sic multi narrant his suffimentis mulieres a suffocatione Hysterica citò liberari, & a spasmodico intestinorum motu, artuumque convulsione, & paralysi homines refici.

§. IV. In Putredinosis affectibus suffimenta nitri, & sulphuris mirificè a nonnullis commendantur; cum enim sulphuris

(1) *In Odyss.* 22. *circa finem.*

ris præcipuè exalationes citiſſimè per totum diffunditur corpus, partibus ſuis balſamicis ſales acres, quibus humores his in morbis coinquinantur, irretire valent eorum materiam etherogeneam, ac impuram corrigere, atque humorum indolem benignam, mollem, & quaſi oleoſam reſtituere.

In ſulphuris vero accenſione notandum, ejus vaporem cerebro, & pectori admodum gravem, & moleſtum eſſe, & tuſſiculoſis præcipue, anheloſis, aliiſque thoracis vitiis detentis valde noxium eſſe, ac proinde cum in cubiculis accenditur eo tempore hominibus per horam unam, aut alteram ex iis recedendum eſſe.

§. V. Ambari cineracei, ſacchari, olivarumque gummi ſuffimenta in pulmonum præſtantiſſima eſſe remedia, experientia confirmat, hinc in pleuritide, catarrho, phtyſi cæteriſque pulmonis affectibus tanquam experta remedia prædicantur.

§. VI. Multa dantur ſpontè fragrantia, ut Cinnamomum, Cariophillum, qui prunis iniecti, & uſti mirificè olent, & ad

& ad nervos musculosque consolidandos, inflammationes resolvendas maximopere conferunt; sed robustioribus tantum eorum usum conceditur, non delicatis temperamentis, ut mala omnia diligenter vitentur, quæ a nimia irritatione progigni possunt.



CA-

# CATALOGUS

## Diverſorum Odorum, & Fœtorum

HActenus iis immorabar, quæ odorum explanationem, eorumque genesim sequuntur, ſupereſt denique ut eorum catalogum exhibeamus: Odores enim ac fœtores, ut diximus, magna ex parte in tribus naturæ regnis reperiuntur, nempe Vegetabili, animali ac Foſſili, neceſſe eſt igitur illos in hiſce tribus perquirere.

### §. I.

### *De Odoribus ex Vegetabilibus Indigenis.*

Acanthus
Acetoſa
Acetum
Abrotanum
Agni flor.
Agrimonia
Anacampſeros
Anethum
Aniſorum ſem.
Apium
Armeniaca Malus
Artemiſia
Abelmolchus
Abſynthium

Bel-

Bellis
Botrys
Calendula
Chamæpitys
Camphorata
Chærophillum
Caryophyllus
Caryophillata
Citreus
Cyclamen
Cotoneæ fruct.
Colchicum
Coclearia
Carvi flor.
Dulcamara
Digitalis
Dens leonis
Fragaria
Fœniculum
Fœnum Græcum
Fumaria
Galli flor.
Horminum
Hyssopus
Lamnium
Lavandula
Laurus
Levisticum
Lilium Convallium
Lotus
Majorana
Marrubium
Marum
Matricaria
Melissa
Mentha
Millefolium
Moscatellina
Mirtus
Ocimum
Origani flor.
Rosa
Rosmarinus
Rosa
Salvia
Sambuci flor.
Smillax
Smyrnium
Scordium
Spicæ ol.
Solarea
Serpyllum

Sinapi ſem.
Siſari flor.
Syringa
Tanacetum
Tymus
Verbeſina
Viburnum
Viola
Vini Spirit.
Ulmaria

§. II.

*De Odoribus ex Vegetabilibus exoticis.*

Acorus Indicus
Angelica
Ariſtolochia
Agallochum
Aſpalathum
Animes
Balſamum Judaicum
Bezojnum
Cariophillus
Caffè ſem.
Copal
Camphora
Caranna
Copaiva
Cinnamomum
Caſſia Cariophillata
Cannella-alba
Candaga pala
Coccinella
Cardamomum
Contrayerva
Cyperus
Doronium
Elemnus
Fraxinella
Gins-eng
Imperatoria
Iridis radic.

Iris Florent.
Maſtrix
Malabatrum
Mirabolanum
Myrrha
Nardus
Nux Maſchata
Olibanus
Piper
Peruvianum
Sandaracha
Saſſafrax
Sebeſten
Styrax
Styrax ſolidus
Styrax calamit.
Serpentaria Virg.
Stæchus
Succinus
Tolutanum
Tacamacha
Vaniglia
Vinteranus
Zodoaria
Zingiber
Zerumbeth

## §. III.

### De *Odoribus ex Animalibus*.

Caſtor
Civetra
Moſchus
Zibethus

## §. IV.

*De Fœtoribus ex Vegetabilibus Indigenis.*

Alliaria
Allium
Aquifolium
Arum
Braſſica
Berberis
Buxus
Cepa
Chelidonium
Cicuta
Colchicum
Coriandrum
Cupreſſus
Eupatorium
Ebulus
Eruca
Fraxinella
Galeopſis
Geniſta
Herba
Hyoſciamus
Lichen
Mandragora
Narciſſo-Leucoicum
Onobrychis
Stramonium
Scordium
Scrophularia
Sylla
Sedum
Succini ol.
Tetragonia
Thalaſſus
Tapex

§. V.

## §. V.

*De Fœtoribus ex Vegetabilibus exoticis.*

| | |
|---|---|
| Aſſa-fœtida | Opium |
| Coſtus | Porrum |
| Galanga | Terebenthina |
| Galbanum | Sagapenum |
| Opopanax | Succinum. |

## §. VI.

*De Fœtoribus ex Foſſilibus.*

| | |
|---|---|
| Arſenius | Realgar |
| Auripigmentum | Sulphur |

## §. VII.

*De Fœtoribus ex Animalibus.*

| | |
|---|---|
| Adeps Balenæ | Orchides |
| Cadavera Animal. | Stercora animal. |
| Hyrcus ſerpens | Simia |
| Gnaphalium | Talpa. |

F I N I S.

# PARTIUM, AC CAPITUM ELENCHUS

## PARS PRIMA.



## PARS SECUNDA



## PARS TERTIA

# PARS QUARTA